



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Oratio devotißima ad laudes habendas, 36

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui: & da mihi effectum petitionis meæ, & desiderii mei; intercedente, & orante, & impetrante gloriosa virgine genitrice tua, Maria Domina mea, cum omnibus Sanctis tuis, Amen.

## CAPVT XXXVI.

*Oratio devotissima ad laudes habendas.*

I. **C**Hriste Domine, verbum Patris, qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere: rogo te per indulgentissima misericordie tuæ viscera, emenda vitam meam, meliora actus, compone mores: tolle de me, quod mihi nocet, & tibi displicet: & da, quod nosti tibi placere, & mihi prodesse. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu solus? Tu es Deus omnipotens infinitæ pietatis: qui iustificas impios, & vivificas mortuos propter peccatum: qui mutas peccatores, & non sunt. Tolle ergo de me, quidquid tibi displicet in me. Imperfecta enim mea plurima vident oculi tui. Mitte, quaeso, manum pietatis tuæ in me: & tolle de me, quidquid offendit oculos pietatis tuæ in me. Coram te Domine est sanitas & infirmitas mea: illam (precor) ferva, istam sana.

2. Sana me Domine, & salvabor: salvum me fac: & salvus ero: Tu, qui infirma sanas, & sanata conservas: Tu, qui solo nutu tuo restauras diruta & collapsa. Si enim dignaris in agro tuo corde meo serere bonum semen, necesse est, ut manu pietatis tuæ spi-

nas prius evellas vitiorum meorum. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime; infunde obsecro, multitudinem dulcedinis tuæ & charitatis tuæ, pectori meo; ut nihil terrenum, nihil carnale desiderem vel cogitem: sed te solum amem, te solum habeam in corde & in ore meo. Scribe digito tuo in pectore meo, dulcem memoriam tui melliflui nominis, nulla unquam oblivione delendam. Scribe in tabulis cordis mei voluntatem tuam, & justificationes tuas; ut te immensæ dulcedinis Dominum & præcepta tua semper & ubique habeam præ oculis meis. Succende mentem meam igne illo tuo quem misisti in terram, & Voluisti vehementer accendi, ut sacrificium spiritus contribulati & cordis contriti, obortis lachrymis quotidie offeram tibi.

3. Dulcis Christe, bone Iesu, sicut desidero, sicut tota mente mea peto; da mihi amorem tui sanctum & castum, qui me repleat, teneat, totumque possideat. Et da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lachrymarum fontem jugiter emanantem; ut ipsæ quoque lachrymæ, tui in me testentur amorem, ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantum te diligit anima mea: dum præ nimia dulcedine amoris tui, nequit se à lachrymis continere.

4. Reminiscor, pie Domine, illius bonæ mulieris Annæ, quæ ad tabernaculum rogatura pro filio venit: de qua Scriptura refert, quod vultus ejus post lachrymas & preces,  
non

non sunt amplius in diversa mutati. Sed memor tantæ virtutis, tantæque constantiæ, dolore torqueor, & verecundia confundor; quia me miserum, nimis deorsum jacere intueor. Si enim ita flevit, & in fletu perseveravit mulier, quæ quærebat filium; quomodo plangere & in planctu persistere debet anima mea, quæ quærit & amat Deum, & ad eum pervenire desiderat? Quomodo gemere ac flere debet talis anima, quæ quærit Deum die ac nocte? quæ præter Christum nihil vult amare? Mirum quippe est, si jam non factæ sunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte. Respice ergo & miserere mei: quia dolores cordis mei multiplicati sunt. Da mihi consolationem tuam cœlestem, & noli spernere peccatricem animam, pro qua mortuus es. Da mihi, quæso, lachrymas ex toto affectu internas, quæ peccatorum meorum possint solvere vincula, & cœlesti jucunditate semper repleant animam meam. Si non cum veris & perfectis Monachis, quorum vestigia nequeo imitari: saltem cum devotis mulieribus, quantulamcunque portionem in regno tuo merear adipisci.

5. Venit mihi quoque in mentem alterius mulieris devotio mira; quæ te in sepulchro jacentem, pro amore quærebat; quæ recedentibus discipulis de sepulchro, non recedebat: quia sedebat ibi tristis, & mœrens, & diu multumque flebat: & resurgens, multis lachrymis iterum iterumque antra deserti sepulchri vigilantibus oculis explorabat, si forte alicubi te videre posset, quem ferventi

desiderio quærebat. Iam certe semel & iterum ingressa sepulchrum viderat: sed nimium amanti non satis erat: virtus enim boni operis perseverantia est. Et quia præ cæteris dilexit, & diligendo fleuit, & flendo quæsiuit, & quærendo perseveravit: ideo prima omnium te invenire, te videre, & te alloqui meruit.

6. Et non solum hæc, sed etiam ipsis discipulis gloriosæ resurrectionis tuæ prænunciavit: te præcipiente, & clementer monente: Vade; dic fratribus meis ut vadant in Galilæam; ibi me videbunt. Si ergo ita fleuit, & in fletu perseveravit mulier, quæ viventem cum mortuis quærebat, quæ te manu fidei tangebatur, quomodo plangere & in planctu persistere debet anima, quæ te redemptorem suum jam cælo præsidentem & ubique regnantem, corde credit, ore confitetur? Quomodo ergo gemere & flere debet talis anima, quæ te toto corde diligit, teque toto desiderio videre concupiscit? Solum confugium, & unica spes miserorum, qui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur.

7. Præsta mihi hanc gratiam propter te, & propter nomen sanctum tuum: ut quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te confero: quoties tui reminiscor, tibi assisto, laudes, preces & sacrificium offero: toties obortis lachrymis, in conspectu tuo copiose & dulciter fleam; ita ut efficiantur mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Tu quidem Rex gloriæ, & omnium virtutum magister, docuisti nos verbo & exemplo  
gemere

gemere & flere, dicens: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Tu flevisi defunctum amicum, & lachrymatus es valde super perituram civitatem.

8. Rogo te bone Iesu per illas preciosissimas lachrymas tuas, & per omnes miserationes tuas, quibus mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es: da mihi gratiam lachrymarum, quam multum desiderat & appetit anima mea: sine dono tuo, non possum habere eam, sed per Spiritum sanctum tuum, qui dura corda peccatorum molit, & ad fletum compungit. Da mihi gratiam lachrymarum, sicut dedisti patribus nostris, quorum vestigia debeo imitari; ut plangam me in omni vita mea, sicut ipsi se planxerunt nocte ac die. Propter merita & orationes eorum, qui tibi placuerunt & devotissime servierunt: miserere mei miserimi & indigni servi tui: & da mihi gratiam lachrymarum. Da mihi irriguum superius, & irriguum inferius; ut sint mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, efficiatque in conspectu tuo, Deus meus, per ignem compunctionis, holocaustum pingue & medullatum, mactet totus in ara cordis mei, & tanquam pinguissimum holocaustum assumar tibi in odorem suavitatis.

9. Da mihi, dulcissime, fontem irriguum, fontemque perspicuum, in quo lavetur assidue istud inquinatum holocaustum. Licet enim me totum tibi obtulerim opitulante gratia tua, in multis tamen quotidie offendo propter nimiam fragilitatem meam.

F 4

Da

Da ergo mihi gratiam lachrymarum, benedicte & amabilis Deus; præcipue ex multa dulcedine amoris tui, & commemoratione misericordiarum tuarum, præpara hanc mensam famulo tuo in conspectu tuo, & da mihi in potestatem, ut quoties volo, satier ex ea.

10. Tribue pro pietate & bonitate tua, ut iste calix tuus inebrians & præclarus, satiet sitim meam, ut inhiet tibi spiritus meus, & ardeat mens mea in amore tui, oblitus vanitatis & miseræ. Audi Deus meus, audi lumen oculorum meorum; audi quæ peto, & da ut petam quod audias, pie & exorabilis Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea: sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui, & da mihi effectum petitionis meæ & desiderii mei precibus & meritis gloriosæ Virginis Mariæ Dominiæ meæ, & omnium Sanctorum, Amen.

#### C A P V T XXXVII.

*In ista oratione mens humana copiosus compungitur, si in quiete dicatur.*

1. **I**esu Domine, Iesu pie, Iesu bone, qui mori dignatus es propter peccata nostra, & resurrexisti propter justificationem nostri: rogo te per gloriosam resurrectionem tuam, resuscita me de sepulchro vitiorum & peccatorum meorum omnium: & da mihi quotidie partem in resurrectione prima: ut in resurrectione tua merear veraciter percipere portionem. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, preciosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, ascen-